

CHRISTI
450.

LEONIS PAP.
II.

VALENTIN. 26. IMP.
MARCIANI I.

Eoritate, & ordinatione constant: quem pro modestia suae temperantia ita futurum credimus studiosum charitatis, & pacis, ut nequaquam sibi credat ablatum, quod fratri videat esse concessum. Data III. Non. Maii, Valentiano Aug. VII. & Abieno V. C. Conf. In fine hujus epistolae haec, quae sequuntur verba habentur: Hoc praeceptum domini Leonis confirmatum est a sede Apostolica, presidente Symmacho Papa, Probo V. C. Conf. Habes lector, de antiqua questione S. Leonis Papae sententiam ex recitata epistola nondum cusa, percepta ex codice Arelatensi, quem eo fideliozem existima, dum quae contra ipsam esse probarentur Ecclesiam Arelatensem, aequae integra asseruata custodit: ubi & extat eadem die & anno data ad Ravennium ab eodem Pontifice ejusmodi epistola:

LIX. *Dilectissimo fratri Ravennio, Leo, Diu filios nostros Perronium presbyterum, & Regulam diaconum in Urbe tenuimus: quoniam & de nostra hoc gratia merebantur, & fidei, quae nunc quorundam errore vexata est, ratio postulabat. Voluimus enim eos interesse tractatui, & universa cognoscere, quae per te cupimus ad omnium fratrum, & sacerdotum nostrorum notitiam pervenire: carissime hoc dilectioni tuae specialiter delegantes, ut sollicitudine vigilantis tuae epistola nostra, quam ad Orientem pro fidei defensione direximus, vel sanctae memoriae Cyrilli, quae nostris sensibus tota concordat, universis fratribus innotescat, ut certiores effecti contra eos, qui incarnationem Domini pravis persuasionibus aestimant temerandam, spirituali se virtute praemuniant. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Ecclesiis, & Domino nostro Episcopatus tui possis commendare primordia, si haec ita ut credimus atque mandavimus, impleveris, frater carissime. Quae autem committenda litteris non fuerunt, cum praedictorum filiorum nostrorum insinuatione didiceris, carissime, Domini fretus auxilio efficaciter (ut diximus) aut laudabiliter exequemur. Deus de incolorem custodiat, frater carissime. Data III. Non. Maii gloriosissimo Val. Aug. VII. & Abieno V. C. Conf. Ann. Eccl. Tom. VIII.*

Ex hac epistola intelligis sanctum Leonem Papam misisse ad Gallicos Episcopos insignem, atque famosam illam epistolam de fide Catholica ad Flavianum scriptam; ut non Orientalibus tantum, sed & Occidentalibus innotescerent, quae de Verbi incarnatione teneret haecenus, atque tenuisset semper Ecclesia Catholica. Qua accepta ad Flavianum epistola, Episcopi Galliarum eadem probe cognita, & in omnibus fidei Catholicae quam haecenus custodissent, consentire probata, rescripserunt ad eundem S. Leonem epistolam illam, quae sine die & Consule data cum habeatur, eam sub diebus anni hujus Consulibus esse collocandam intelligis, cujus est exordium: *Perlata ad nos epistola beatitudinis vestrae, &c.* Habetur in recentiori editione Romana epistolarum Sancti Leonis post ejus epistolam quinquagesimam tertiam, non tamen suo loco collocata. Sic igitur pluribus habes epistolis autem numerum epistolarum S. Leonis Magni, cujus tanti Patris vel una reperta sententia scriptis mandata magnarum loco divitiarum fuerat aestimanda, atque litteris aureis exaranda.

LX.

Hoc eodem anno ingens fames vexavit Italiam; adeo ut inedia pereuntes, filios ad cibum emendum vendiderint. Est de his locuples testis Valentianus sanctio anno sequenti mense Januario data, qua praecipit, ut parentibus liceret redimere filios: meminit autem hujus penuriae istis verbis (a): *Notum est proxime obcruentissimam famem per totam Italiam decessisse, coactos homines & filios parentes vendere, ut discrimen instantis mortis effugerent. Tantum unicuique miserandae macies & lethalis pereuntium pallor exorsit, ut totius, quem natura concessit, amoris obliti, alienare suos, pietatis genus putarent. Nihil est enim, ad quod non desperatio salutis impellat: nihil turpe, nihil vetitum creditur: sola cura est, ut qualicumque sorte vivatur.* Haec Imperator. Sed & peste laborasse Italiam, Gelasius (b) Papa testatur. Atque haecenus de rebus gestis praesentis anni.

LXI. Ingens fames Italiam vexat.

(a) Valent. Novel. tit. II. apud C. Theod.

(b) Gelas. in And.

I 2 Qua-

PAGIUS

acquiescens, praecepit Hengisto in Germaniam mittere, ut milites ex ea invitati festinum timidi- tati sua conferrent auxilium. Paulo post; Mis- sa in Germaniam Legatione nuntii revertentes decem & octo naves electis militibus oneratas detulerunt. Adduxerunt etiam filiam Hengisti vo- cabulo Rooven; cujus pulchritudine Vortigernus illectus postulavit eam a patre suo. Hengistus ve- re comperta animi Regis levitate concessit ei filiam

suam. Hujus conjugii occasione & Britanno- rum res everfa, & idololatria in Insulam in- troducta.

Sebastianus Comes, ut anno CDXL. num. IV. ostendimus, Genferici Vandalorum Regis jussu occiditur. Valentianus Imp. Romam proficisci- tur, ubi Synodus Romana celebratur, & Pla- cidia Aug. moritur, ut anno superiori num. XX. dicitur.

XVII. Sebastia- nus Comes occiditur.